



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

De Dilectione Et Impletione Legis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

## DE DILECTIONE ET IMPLETIONE LEGIS.

**H**ic obijciunt aduersarij: Si vis in vitam ingredi, serua mandata. Item: Factores Legis iustificabuntur; & alia multa similia de lege, & operibus, ad quæ, priusquam respondemus, dicendum est, quid nos de dilectione, & impletione legis sentiamus. Scriptum est apud Prophetam: Dabo legem meam in corda eorum. Et Rom. 3. ait Paulus: legem stabili, non aboleri, per fidem. Et Christus ait: Si vis ingredi in vitam, serua mandata. Item: Si dilectionem non habeam, nihil sum. Hæ sententiæ & similes testatur, quod oporteat legem in nobis inchoari, & magis magisque fieri. Loquimur autem non de ceremonijs, sed de illa lege, quæ præcipit de motibus cordis, videlicet de Decalogo. Quia verò fides affert Spiritum sanctum, & parit nouam vitam in cordibus, necesse est, quod pariat spirituales motus in cordibus. Et qui sint illi motus, ostendit propheta, cum ait: Dabo legem meam in corda eorum. Postquam igitur fide iustificati & renati sumus, incipimus Deum timere, diligere, petere, & expectare ab eò auxilium, gratias agere & prædicare, & obedire ei in afflictionibus. Incipimus & diligere proximos, quia corda habent spirituales & sanctos motus.

Hæc non possunt fieri, nisi postquam fide iustificati sumus, & renati accipimus Spiritum sanctum. Primum, quia lex non potest fieri sine Christo. Item, Lex non potest fieri sine Spiritu sancto. At Spiritus sanctus accipitur fide, iuxta illud Pauli, Galat. 3. Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Item, quomodo potest humanum cor diligere Deum, dum sentit eum horribiliter irasci, & opprimere nos temporalibus & perpetuis calamitatibus? Lex autem semper accusat nos, semper ostendit irasci Deum. Non igitur diligitur Deus,

nisi postquam apprehendimus fide misericordiam. Ita demum sit obiectum amabile.

Quoniam igitur ciuilia opera, hoc est, externa opera legis, sine Christo, & sine Spiritu sancto aliqua parte fieri possint, tamen apparet ex his, quæ diximus illa quæ sunt propriè legis diuinæ, hoc est, affectus cordis erga Deum, qui præcipiuntur in prima tabula, non posse fieri sine Spiritu sancto. Sed aduersarij nostri sunt suaues Theologi: Intuentur secundam tabulam, & politica opera, primam nihil curant, quasi nihil pertinet ad rem, aut certè tantum externos cultus requirunt. Illam æternam legem, & longè positam supra omnium creaturarum sensum atque intellectum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, prorsus non considerant.

At Christus ad hoc datus est, ut propter eum donetur nobis remissio peccatorum, & Spiritus sanctus, qui nouam & æternam vitam ac æternam iustitiam nobis pariat. Quare non potest lex verè fieri, nisi accipitur pro Spiritu sancto per fidem. Ideo Paulus dicit legem stabiliri per fidem, non aboleri, quia lex ita demum fieri potest, cum contigit Spiritus sanctus. Et Paulus docet 2. Cor. 3. velamen, quo facies Moyse resecta non posse tolli, nisi fide in Christum, quæ accipitur Spiritus sanctus. Sic enim ait: Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum, Cum autem conuersi fuerint ad Deum, auferetur velamen, Dominus autem spiritus est, Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Velamen intelligit Paulus, humanam opinionem de tota lege, Decalogo & ceremonijs, videlicet quod hypocritæ putant externa & ciuilia opera satisfacere legi Dei, & sacrificia & cultus ex opere operato iustificare coram Deo. Tunc autem detrahitur nobis hoc velamen, hoc est, eximitur hic error, quando Deus ostendit cordibus nostris

immundiciem nostram, & magnitudinem peccati. Ibi primum videmus nos longè abesse ab impletione legis. Ibi agnoscimus, quomodo caro secura atq; otiosa non timeat Deum, nec verè statuat respici nos à Deo, sed casu nasci, & occidere homines. Ibi experimur nos non credere, quòd Deus ignoscat, & exaudiat. Cùm autem audito Euangelio & remissione peccatorum fide erigimur, concipimus Spiritum sanctum, ut iam rectè de Deo sentire possimus, & timere Deum, & credere ei, &c. Ex his apparet non posse legem sine Christo, & sine Spiritu sancto fieri.

Profitemur igitur, quòd necesse sit inchoari in nobis, & subinde magis magisq; fieri legem. Et complectimur simul vtrumq;, videlicet spirituales motus & externa bona opera. Falsò igitur calumniantur nos aduersarij, quòd nostri nò doceant bona opera, cùm ea non solùm requirant, sed etiam ostendant, quomodo fieri possint. Euentus coarguit hypocritas, qui suis viribus conantur legem facere, quòd non possint præstare, quæ conantur. Longè enim imbecillior est humana natura, quàm ut suis viribus resistere diabolo possit, qui habet captiuos omnes, qui non sunt liberati per fidem. Potentia Christi opus est aduersus diabolum, videlicet, ut quia scimus nos propter Christum exaudiri, & habere promissionem, petamus, ut gubernet & propugnet nos Spiritus sanctus, ne decepti eremus, ne impulsì contra voluntatem Dei aliquid suscipiamus, Sicut Psalmus docet: Captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Christus enim vicit Diabolum, & dedit nobis promissionem, & Spiritum sanctum, ut auxilio diuino vincamus & ipsi. Et 1. Ioh. 3. Ad hoc apparuit Filius Dei, ut soluat opera diaboli. Deinde non hoc tantùm docemus, quomodo fieri lex possit, sed etiam quomodo Deo placeat, si quid fit, videlicet, non quia legi satisfaciamus, sed quia sumus

in Christo, Sicut paulò pòst dicemus. Constat igitur  
 nostros requirere bona opera. Imò addimus & hoc  
 quòd impossibile sit dilectionem Dei, etsi exigua est  
 illud à fide, quia per Christum acceditur ad Pa-  
 trem, & accepta remissione peccatorum verè iam fru-  
 uimus, nos habere Deum, hoc est, nos Deo curæ esse  
 inuocamus, agimus gratias, timemus, diligimus, sic  
 ut Ioannes docet in prima Epistola, Nos diligimus et  
 inquit, quia prior dilexit nos, videlicet, quia dedit pro  
 nobis Filiù, & remisit nobis peccata. Ita significat pra-  
 cedere fidem, sequi dilectionem. Item fides illa, de qua  
 loquimur, existit in pœnitentia, hoc est, concipitur  
 terroribus conscientia, quæ sentit iram Dei aduersus  
 nostra peccata, & quærit remissionem peccatorum  
 liberari à peccato. Et in talibus terroribus & alijs af-  
 flictionibus debet hæc fides crescere & confirmari.  
 Quare non potest existere in his, qui secundum car-  
 nem viuunt, qui delectantur cupiditatibus suis, & ob-  
 temperant eis. Ideò Paulus ait: Nulla nunc damna-  
 tio est his, qui suat in Christo Iesu, qui non secundum  
 carnem ambulant, sed secundum spiritum. Item: Debi-  
 tores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus.  
 Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si  
 autem spiritu actiones corporis mortificabitis, viu-  
 tis. Quare fides illa, quæ accipit remissionem peccato-  
 rum in corde perterrefacto, & fugiente peccato, non  
 manet in his qui obtemperant cupiditatibus, nec ex-  
 istit cum mortali peccato.

Ex his effectibus fidei excerptunt aduersarij vnum  
 videlicet dilectionem, & docent, quòd dilectio iustitiam  
 est. Ita manifestè apparet, eos tantum docere legem  
 Non prius docent accipere remissionem peccatorum  
 per fidem. Non docent de mediatore Christo, quòd  
 ppter Christum habeamus Deum propitiù, sed ppter  
 nostram dilectionem. Et tamè qualis sit illa dilectio, non

dicunt

dicunt, neque dicere possunt. Prædicant, se legem implere, cum hæc gloria propriè debeat Christo, & fiduciam priorum operum opponunt iudicio Dei, dicunt enim, se de condigno mereri gratiam & vitam æternam. Hæc est simpliciter impia & vana fiducia. Nam in hac vita non possumus legi satisfacere, quia natura carnalis non desinit malos affectus parere, et si his resistit spiritus in nobis.

Sed querat aliquis. Cum & nos fateamur dilectionem esse opus Spiritus S. cumque sit iusticia, quia est impletio legis, cur non doceamus, quod iustificet? Ad hoc respondendum est. Primum hoc certum est, quod non accipimus remissionem peccatorum, neque per dilectionem neque propter dilectionem nostram, sed propter Christum sola fide. Sola fides, quæ intuetur in promissionem, & sentit idem certum statuendum esse, quod Deus ignoscat, quia Christus non sit frustra mortuus, &c. vincit terrores peccati & mortis, Si quis dubitat, Vtrum remittantur sibi peccata, contumelia afficit Christum, cum peccatum suum iudicat maius, aut efficacius esse, quam mortem & promissionem Christi. Cum Paulus dicat gratiam exuberare supra peccatum, hoc est, misericordiam ampliolem esse, quam peccatum. Si quis sentit se idem consequi remissionem peccatorum, quia diligit, afficit contumelia Christum, & comperiet in iudicio Dei hanc fiduciam propriam iustitiam impiam & inanem esse. Ergo necesse est, quod fides reconciliet, & iustificet. Et sicut non accipimus remissionem peccatorum per alias virtutes legis, seu propter eas, videlicet propter patientiam, castitatem, obedientiam erga Magistratus, &c. & tamen has virtutes sequi oportet: Ita neque propter dilectionem Dei accipimus remissionem peccatorum, et si sequi eam necesse est. Cæterum nota est consuetudo sermonis, quod interdum eodem verbo causam & effectum complectimur *κατὰ συνηθολογίαν*. Ita Lucas septimo ait Christus: Remittantur ei peccata multa;

quia dilexit multum. Interpretatur enim seipsum  
 Christus cum addit: Fides tua saluam te fecit. Non  
 igitur voluit Christus, quod mulier illo opere dilectio-  
 nis merita esset remissionem peccatorum. Ideo enim  
 clarè dicit: Fides tua saluam te fecit. At fides est, qui  
 apprehendit misericordiam propter verbum Dei gra-  
 tis. Si quis hoc negat fidem esse, profus non intelligit  
 quid sit fides. Et ipsa historia hoc loco ostendit, qui  
 vocet dilectionem. Mulier venit hanc afferens de Chris-  
 to opinionem, quod apud ipsum quaerenda esset re-  
 missio peccatorum. Hic cultus est summus cultus Chris-  
 ti. Nihil potuit maius tribuere Christo. Hoc erat ve-  
 rè Messiam agnoscere, quaerere apud eum remissionem  
 peccatorum. Porro sic de Christo sentire, sic colere, sic  
 complecti Christum, est verè credere. Christus autem  
 usus est verbo dilectionis non apud mulierem, sed ad-  
 uersus Pharisaum, quia totum cultum Pharisei, cum  
 toto cultu mulieris comparabat. Obiurgat Pharisaum  
 quod non agnosceret ipsum esse Messiam, etsi hac ex-  
 terna officia ipsi praestaret, vt hospiti, viro magno &  
 sancto. Ostendit mulierculam, & praedicat huius cultum,  
 unguenta, lacrymas, &c. quae omnia erant signa fidei, &  
 confessio quaedam, quod videlicet apud Christum qua-  
 reret remissionem peccatorum. Magnum profectò  
 exemplum est, quod non sine causa commouit Chris-  
 tum vt obiurgaret Pharisaum virum sapientem, & ho-  
 nestum, sed non credentem. Hanc ei impietatem ex-  
 probat, & admonet eum exemplo mulierculae, signi-  
 ficans turpe ei esse, quod cum indocta muliercula cre-  
 dat Deo, ipse legis doctor non credat, non agnoscat  
 Messiam, non quaerat apud eum remissionem peccato-  
 rum & salutem. Sic igitur totum cultum laudat, vt sa-  
 pè fit in scripturis, vt vnoverbo multa complecti amur,  
 vt infra latius dicemus in similibus locis, vt: Date e-  
 leemosynam, & omnia erunt munda. Non tantum

elemo-

eleemofynas requirit, sed etiam iustitiam fidei. Ita hic ait: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, id est, quia me verè coluit fide & exercitijs & signis fidei, Totum cultum comprehendit. Interim tamen hoc docet, quòd propriè accipiatur fide remissio peccatorum. Et si dilectio, confessio, & alij boni fructus sequi debeant. Quare non hoc vult, quòd fructus illi sint precium, sint propiciatio, propter quam detur remissio peccatorum, quæ reconciliet nos Deo, De magna re disputamus, de honore Christi, & vnde petant bonæ mentes certam & firmam consolationem: Vtrùm fiducia collocanda sit in Christum, an in opera nostra. Quòd si in opera nostra collocanda erit, detrahitur Christo honos mediatoris & propiciatoris. Et tamen comperiemus in iudicio Dei hanc fiduciam vanam esse, & conscientias inde ruere in desperationem. Quòd si remissio peccatorum, & reconciliatio non contingit gratis propter Christum, sed propter nostram dilectionem, nemo habiturus est remissionem peccatorum, nisi ubi totam legem fecerit, quia lex nō iustificat, donec nos accusare potest. Patet igitur, cum iustificatio sit reconciliatio propter Christum, quòd fide iustificemur, quia certissimum est sola fide accipi remissionem peccatorum.

Nunc igitur respondeamus ad illam obiectionem, quam supra proposuimus. Rectè cogitant aduersarij dilectionem esse legis impletionem, & obedientia erga legem certè est iustitia, sed hoc fallit eos, quòd putant nos ex lege iustificari. Cùm autem non iustificemur ex lege, sed remissionem peccatorum, & reconciliatorem accipiamus fide propter Christum, non propter dilectionem aut legis impletionem: Sequitur necessariò, quòd fide in Christum iustificemur.

Deinde illa legis impletio, seu obedientia erga legem, est quidem iustitia, cùm est integra, sed in nobis est exigua & immunda. Ideo nō placet propter seipsam,

non est accepta propter seipsam. Quanquam autem ex his, quæ supra dicta sunt, constet, justificationem non solum initium renouationis significare, sed reconciliationem, qua etiam postea accepti sumus: Tamen nunc multò clariùs perspici poterit, quòd illa inchoata legis impletio non iustificet, quia tantum est accepta propter fidem. Nec est confidendum, quòd propria perfectione, & impletione legis, coram Deo iureiurem, ac non potius propter Christum:

1. Cor. 4. 4.

Primum, quia Christus non desinit esse mediator postquam renouati sumus. Errant, qui fingunt eum tantum primam gratiam meritum esse, nos postea placati nostra legis impletione, & mereri vitam æternam. Minus net mediator Christus, & semper statuere debemus quòd propter ipsum habeamus placatum Deum, etiamsi nos indigni simus, Sicut Paulus apertè docet cum ait: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum, sed sentit se fide reputari iustum propter Christum, iuxta illud: Beati quorum remissa sunt iniquitates. Illa autem remissio semper accipitur fide. Illa imputatio iustitiæ Euangelij est ex promissione, igitur semper accipitur fide, semper statuendum est, quòd de propter Christum iusti reputemur. Si renati postea sentire deberent, se acceptos iore propter impletionem legis, quando esset conscientia certa, se placere Deo cum nunquam legi satisfaciamus? Ideo semper a promissione recurrendum est, hac sustentanda est firmitas nostra, & statuendum, nos propter Christum iustos reputari, qui sedet ad dexteram Patris, & perpetuò interpellat pro nobis. Hunc Pontificem contumelia afficit, si quis sentit se jam iustum & acceptam esse propter propriam impletionem legis, non propter eius promissionem. Nec intelligi potest, quomodo loqui queat homo iustus esse coram Deo, excluso proptore & mediatore Christo.

Item quid opus est longa disputatione? Tota scriptura, tota Ecclesia clamat, legi non satisfieri. Non igitur placet illa inchoata legis impletio, propter seipsam, sed propter fidem in Christum. Alioqui lex semper accusat nos, Quis enim satis diligit, aut satis timet Deum? Quis satis patienter sustinet afflictiones à Deo impositas? Quis non sæpe dubitat, Vtrum Dei consilio an casu regantur res humanæ? Quis non sæpe dubitat, Vtrum à Deo exaudiatur? Quis non sæpe stomachatur, quod impij fortuna meliore vtuntur, quam pij, quod pij ad impijs opprimuntur? Quis satisfacit vocationi suæ, quis diligit proximum sicut seipsum? Quis non irritatur à concupiscentia? Ideo Paulus inquit: Non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum. Item: Mente seruo legi Dei, Carne autem seruo legi peccati. Hic aperte prædicat, se legi peccati seruire. Et Dauid ait: Non intres in iudiciū cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hic etiam seruus Dei deprecatur iudicium. Item, Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum, Semper igitur in hac infirmitate nostra adest peccatum, quod imputari poterat, de quod paulò post inquit: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus. Hic ostendit, sanctos etiam oportere petere remissionem peccatorum. Plus quam cæci sunt, qui malos affectus in carne non sentiunt esse peccata, de quibus Paulus dicit: Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem, caro diffidit Deo, confidit rebus præsentibus, quærit humana auxilia in calamitate, etiam contra voluntatem Dei, fugit afflictiones, quas debebat tolerare propter mandatū Dei, dubitat de Dei misericordia, &c. Cum talibus affectibus, luctatur Spiritus sanctus in cordibus, vt eos reprimat, ac mortificet, & inferat nouos spirituales motus. Sed de hoc loco infra plura testimonia colligemus,

quan-

quanquam ubiq; obuia sunt, non solum in scripturis sed etiam in sanctis Patribus.

Præclare inquit Augustinus: Omnia mandata De implentur, quando, quidquid non fit, ignoscitur. Requirit igitur fidem, etiam in bonis operibus, ut credamus nos placere Deo propter Christum, nec opera ipsa per se digna esse, quæ placeant.

Et Hieronymus contra Pelagianos: Tunc ergo iustus sumus, quando nos peccatores fatemur. Et iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia. Oportet igitur adesse fidem in illa inchoata legis impletione, quæ statuatur nos propter Christum habere Deum placatum. Nam misericordia non potest apprehendi nisi fide, sicut supra aliquoties dictum est.

Quare cum ait Paulus, legem stabiliri per fidem, non solum hoc intelligi oportet, quod fide renati concipiunt Spiritum sanctum, & habeant motus consentientes legi Dei, sed multo maxime refert & hoc addere, quod sentire nos oportet, quod procul à perfectione legis absimus. Quare non possumus statuere, quod coram Deo iusti reputemur, propter nostram impletionem legis, sed quærenda est alibi iustificatio, ut conscientia fiat tranquilla. Non enim sumus iusti coram Deo, donec fugientes iudicium Dei, irascimur Deo. Sentendum est igitur, quod reconciliati fide propter Christum iusti reputemur, non propter legem, aut propter opera nostra, sed quod hæc inchoata impletio legis placeat propter fidem. Et quod propter fidem non imputetur hoc, quod deest impletioni legis, etiam si conspectus impuritatis nostræ perterrefacit nos. Iam si est alibi quærenda iustificatio, ergo nostra dilectio & opera non iustificat. Longè supra nostram mundiciem, imò longè supra ipsam legem collocari debent mors & satisfactio Christi nobis donata, ut statuamus, nos propter illam

satisfactionem habere propitium Deum, non propter nostram impletionem legis.

Hoc docet Paulus ad Gal. 3. cum ait: Christus redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictum, hoc est, lex damnat omnes homines, Sed Christus quia sine peccato subiit pœnam peccati, & victima pro nobis factus est, sustulit illud ius legis, ne accuset, ne damnet hos, qui credunt in ipsum, quia ipse est propitiatio pro eis, propter quam nunc iusti reputantur. Cum autem iusti reputentur, lex non potest eos accusare, aut damnare, etiamsi re ipsa legi non satisfecerint. In eandem sententiam scribit ad Colossenses: In Christo consummati estis, quasi dicat: Etsi adhuc procul abestis à perfectione legis, tamen non damnant vos reliquiae peccati, quia propter Christum habemus reconciliationem certam & firmam, si creditis, etiamsi hæret peccatum in carne vestra.

Semper debet in conspectu esse promissio, quod Deus propter suam promissionem, propter Christum velit esse propitius, velit iustificare, non propter legem, aut opera nostra. In hac promissione debent pauidæ conscientiae querere reconciliationem & iustificationem, hac promissione debent se sustentare, ac certò statuere, quod habeant Deum propitium, propter Christum, propter suam promissionem. Ita nunquam possunt opera conscientiam reddere pacatam, sed tantum promissio. Si igitur præter dilectionem & opera alibi querenda est iustificatio, & pax conscientiae, ergo dilectio & opera non iustificant, etsi sunt virtutes & iustitiae legis, quatenus sunt impletio legis. Et eatenus hæc obedientia legis iustificat iustitia legis. Sed hæc imperfecta iustitia legis non est accepta Deo, nisi propter fidem. Ideo non iustificat, id est, neq; reconciliat, neq; regenerat, neq; per se facit acceptos coram Deo.

Ex his constat sola fide nos iustificari, coram Deo,

quia

quia sola fide accipimus remissionem peccatorum & reconciliationem, propter Christum, quia reconciliatio seu iustificatio est res promissa propter Christum non propter legem. Itaq; sola fide accipitur. Et si deo nato Spiritu sancto sequitur legis impletio.

## RESPONSIO AD ARGUMENTA ADVERSARIORVM.

**C**OGNITIS autem huius causæ fundamentis, videlicet discrimine legis & promissionum, (seu Evangelij, facile erit diluere ea, quæ aduersarij obijciunt. Citant enim dicta de lege & operibus, & omittunt dicta de promissionibus. Semel autem responderi ad omnes sententias de lege potest, quòd lex non possit fieri sine Christo, & si qua fiunt ciuilia opera, sine Christo, non placent Deo. Quare cum prædicantur opera, necesse est addere, quòd fides requiratur, quòd propter fidem prædicentur, quòd sint fructus & testimonia fidei. Ambiguæ & periculose causæ multas & varias solutiones gignunt. Verum est enim illud veteris Poëtæ:

ὁ δ' ἀδικῶ λόγῳ,  
Νοσῶν ἐν αὐτῷ φαρμάκων θεῶν σφῶν.

Sed in bonis & firmis causis, vna atq; altera soluta sumta ex fontibus, corrigit omnia, quæ videntur offendere. Id sit & in hac nostra causa. Nam illa regula quam modò recitavi, interpretatur omnia dicta, quæ de lege & operibus citantur.

Fatemur enim scripturam alibi Legem, alibi Evangelium seu gratuitam promissionem peccatorum propter Christum tradere. Verùm aduersarij nostri simpliciter abolent gratuitam promissionem, cum negant, quòd fides iustificet, cum docent, quòd propter dilectionem & opera nostra accipiamus remissionem peccatorum

& n